Hyacinthus

Bieżanowski Stanisl. Jos: Parnassus sacer mons Koniusza ad festa Hyacinthina —

PARNASSUS SACER
MONS KONIVSZA,
ad festa Hyacinthina,

Perillustris olim, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. HYACINTHI THOMASZEWIC,

I. Vq; DOCTORIS, PROTONOTARII APOSTOLICI,
Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium
ARCHIDIACONI,
& S. Michaelis in Arce Crac: Custodis,
CVRATI KONIUSZENSIS,
iustis Musarum Gratiis,

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI, Leopol:
in Alma Vniuersitate Crac:
Philosophiæ Doctore, Collega Minore, Ordin: Pòëseos Professore,

CORONATVS;

Nunc verò, posthumo parentali obsequio,
ad perennem tanti Viri memoriam,
LUCE PUBLICÂ

DONATVS.

Anno Domini 1683.

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

GEMITVS CORDIS AMICI,
Iambis dolentibus renouatus.

Fastigiato dum Koniusza vertice,
Nubes fatigat, Satrapasque montium
Vincens in alto, fronte vasta despicit,
Proditque lucis in theatrum publicæ;
Vulnus profundum, rursus irritat nouo
Mucrone cordis; innouatque flebilem
Rursus Scatebram; dum viscerum dissilit
Compago, rupta palpitantibus fibris.
Eheu Koniuszæ nomen olim gemmeum,
Nunc meror ingens! quàm lancinas pectora!
Quàm sæuis intus! grande per dispendium
Gemmæ Virorum. Consus ille lurium,
Hyacinthus ille, Delphico maior tripos,
Themisque tota, nixque tota mentium,
Et innocentis dulcor ille gratiæ,
Quàm raptus eheu! iam Koniuszæ sustulit
Horas beatas, & aurei seculi
Dites fodinas! culmen o cultissimum!
Musæa nobis, Castalimque musteam,
Eheu in vno quàm tulisti pectore!
Sed vixit in quo, pectus, & cor omnium.
Animæ bonæ, gratæ Deo, dignæ polo,
O quàm negatis longiùs nos perfrui
Dulcore Vestro! quàm breues sunt Gratiæ,
Gustusq; vestri! nempè cælum gemmulas
Hominum rapit. caram medullitùs prout,
Euisceratis gemmulam præcordiis,
Hyacintheam tulit; Viri sed gloriam
Non tollet vnquam. Vos Amici nobilem
Seruate gemmam, cordis inter candidi
Imos recessus; & aureis literis,
Suprà pyropos, & berillos mentium,
Signatè verba hæc. vt Koniusza montium,
Triumphat inter laureatos vertices;
Augusta Iuris sic super fastigia,
Stabit perenni non mouenda cardine,
Tuæ Columna THOMASZEVI gloriæ.

Perillustribus, & Admodùm Reuerendis Dominis,

D. PETRO STANISLAO ORŁOWSKI,

PROTONOTARIO APOSTOLICO,
Præposito, & Officiali perpetuo
TARNOVIENSI,
Scholastico Kielcensi, Curato Morauicensi,
S. R. M. SECRETARIO;

&

IACOBO ZELAZOWSKI,

IVRIS V. DOCTORI, SCHOLASTICO TARNOVIENSI,
Canonico Bobouiensi,
Vltimæ voluntatis piè defuncti
EXECVTORIBVS,
Dominis, & Patronis fauentissimis,
AUTHOR S. & P.

V*Enit iterum ad vos, qui nunquam cordibus vestris eximi poterit, etiam post vmbras Sepulchrales, in montium fastigiis coruscans, dilectus vobis Hyacinthus.* Perillustres, & Admodùm Reuerendi Domini. *Abscondere illum cortina mortis, & eripere Orbi voluit; sed ecce Sarcophago cinerum suorum euolutus, sublimior exit; posthu a nominis sui claritudine, vsq. ad montana immortalis gloriæ assurgens. Spectatissima nimirum virtus, & sapientia tanti Viri, ceu radius solis in crystallo, in totius vitæ innocenti speculo, si emicuit; quidni speculam quoq. Koniuszensem, vitæ suæ proba-*

probatiſsimæ teſtem, à morte habeat? vt in ea, ſeculis omnibus appareat tam clarus, quàm vixerat illibatus. Nam ſi Atlantis, & Olympi montium vertices, Sidera tangere creduntur; quod eminentiſsima nubibus capita inferant; Hyacinthi noſtri mens illa, Deo ob eximiam pietatem; cæleſtibus Intelligentiis, ob præclaram eruditionem coniuncta, & vicina; an non Koniuſsenſe quoq́ faſtigium, eminentiſsimo ſiderum Capitolio propè intulerat? cùm in eo aſſurrexiſſet, tantus integerrimæ vitæ, & excellentis doctrinæ, & Atlas, & Olympus. Egit ille, pro montis huius gloria, pro Decore Domus Domini, pro Eccleſiaſtica in eo dignitate, & pro Ampliſsimi Collegii Iuridici conſeruandis Iuribus; egit inquam & ſapienter, & zelosè; vt non in Mauſolæum cederet illi, ſed in trophæum; exemplo vitæ Prælato dignæ, curis & vigiliis Paſtoralibus, ac pretioſis virtutum HYACINTHIS *coronatum: quale & nunc quoq́,* Perilluſtris & Adm̄ R̄ndi Domini SAMVELIS FORMANKOWICZ, *Iuris Vtriuſq́ Doctoris, & Profeſſoris, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Cuſtodis, viri præſtantiſsimi, cura in eo, & Paſtoralis dignitas meretur. Nec verò, ſublime hoc clariſsimi nominis faſtigium, cùm in lucem publicam prodit; abſq́ Veſtra claritudine,* Perilluſtres, & Admodùm Reuerendi Domini, *& amantiſsimi cordis ſignaculo, in Orbis facie viſendum ſe exhibet; quorum id amica dilectio, & dulcis tanti Viri recordatio fecit; vt quemadmodùm ad animæ ſuffragia, Diuinas pro eo, Incruenti Sacrificii, aræ victimas habent; ita virtutis, & intaminati nominis eius ſplendor, in hoc Monte, quem ſine labe incoluit, ſine velamine quoq́ eluceſcat. Amor hic veſter, & poſthuma pietas, reuelat animorum veſtrorum ſinus amantiſsimos, & conuincit; quod Diuino planè inſtinctu vos potiſsimùm elegerit; quorum optimæ erga ſe voluntati, vltimum Vale, & velle ſuum concrederet. illa plena, & ſuauiſsima de vobis fiducia; quam coram optimè de ſe merito, & vnicè ob animi dotes egregias dilecto,* Adm̄ R̄ndo CASIMIRO WOLFOWICZ, *Philoſophiæ Doctore, Præpoſito S.* ROCHI, *animo, & ſenſu viuaciſsimo effuderat. Montem igitur mira origine, ſingulari deuotione, & patrimonio Chriſti, rebus Eccleſiaſticis ſacrum: Montem tot Clariſsimorum ex Vniuerſitate Cracouienſi Iureconſultorum, Paſtorali dignitate, & non interrupta ſeriè celebrem: montem deniq́, Summorum nonniſi Virorum præclaris nominibus, ceu gemmis hyacinthinis dignum; & a me iuſtis Muſarum Gratiis coronatum; ſub veſtro* Perilluſtres, & Admodùm Reuerendi Domini, *virtutis, & gloriæ coronamento, luci publicæ conſigno: & pro humaniſsimæ gratiæ affectu; quem in Vobis, pro* HYACINTHO *meo experior, Votis cælum fatigo; vt longæuus in Eccleſia Dei honos Veſter, maiori in dies meritorum claritudine auctus, emineat tandem perennibus, cæleſtis gratiæ, & gloriæ in Montanis.*

PAR-

ACROAMA DEDICATORIVM,

piè defuncto Conſecratum.

Ecce mons plenus equorum.
Reg: 4. Cap: 6.

VEctigales honori, & monti tuo,
cum hac Prophetica panegyri,
veniunt ad Te,
GRATIÆ, & CORONÆ,
oraculo vatum digniſsime, coronati nominis
HYACINTHE.
Rem, non ænigma loquitur, Vates hic;
qui ceu montem tuum, in Spiritu vidiſſet;
arcanum eius, intra ſenſuum myſticorum cortinam,
tot retrò ſeculis habendum,
mira emphaſi prophetiæ dixit.
Vox ne iſta? an digitus Dei?
montem tuum tam probè indigitans?
Certè
ſi oraculorum de eo medullam poſceres;
nihil tam emedullatum, nihil ad nucleum magis;
quàm propheticum hoc,
Ecce mons plenus equorum.
Reuelatum id Eliſeo contra Syros,
equites cælo, & currus igneos,
ad ſublimia montium eduxit.
Non iræ mons Tuus, ſed gratiæ,
mitioribus auſpiciis, cæli ſuffragia meruit;
in eo ſonipede;
qui dum Prybyslao ſuo non fremit, ſed adhinnit;
ſtillare montes dulcedine pacis, & gratiæ,

A etiam

etiam apud Sarmatas ostendit.
Quis cogitasset?
plenitudinem equorum, in victimas ituram pacificas?
posseque Deo Sacrari montes,
etiam in armentis.
Certè Domino Exercituum,
nihil ab Equite Polono, dicari potuit congruentius;
quam KONIVSZA,
felicitate Sreniauii militis maxima;
quod equestri militia fortissimæ gentis,
benedixerit Dominus,
in monte Sancto eius;
in quo,
vt non bella, sed pacem cogites;
Equitibus Polonis contra barbaros,
Principum Apostolorum
CLAVIS, & GLADIVS
satis.
Si in curribus, & equis, fiducia gentium;
in monte hoc,
plures nobiscum, quàm cum illis;
nimirum
in Piscatore, & Doctore gentium,
totus Ecclesiæ triumphus.
Oraculum ergò de monte tuo,
quod Sacer videntis Prophetæ enthusiasmus protulit;
à non vidente Poëta tuo,
in Acroama honoris accipe;
& ex iustitiæ tripode,
cuius tantus Mystes, & Flamen es,
pro Gratiarum, quam Tibi necto, corona
decerne;
non solos fontes, vt olim, iustè coronari;
sed & montes;
quorum

quorum summitas, beneficentiæ gloria est.
Hanc ego tibi debeo,
in monte hoc;
in quo, Dominus videbit, quantùm pro me egeris;
quàm suauiter equitauerim, dum me gratia tua portat;
pro qua, bonas tibi, Cælum reddidit vices;
vt dum, æstus plagæ Domini, viciniam corripit;
mons tuus non fumigaret.
Hic inter sacras Oreades tuas,
seruatæ Musæ,
carmen tibi ferunt non vrbanum;
sed quale mea inter myricas, & arbusta didicit
tenuis arundo.
Tu præstantium virorum
selectissima portio,
villanas tuas posce, & patere;
& si rudi paratu, Te dignæ Castalides non sunt;
saltem beneficiorum memores,
montanas Charites esse iube.
Sacras tamen, & Tibi selectas,
quales omnino, cum censu literati otii poscebat,
Parnassus hic
& sacer, & sapiens.
in quem haud frustra, ex augusta sapientia Craci,
Doctorum Senaculum, & Iuris Sacrarium venit.
Nempe vt olim Sacrum,
non poterat vulgus ascendere in montem;
ita & hic, non eminet in summo,
nisi mentium apex;
vbi sapientia ædificauit sibi Domum,
& excidit columnas septem;
omnes nimirum ex lapidibus Academiæ pretiosis;
sex in summis viris,
GORCZYNIO, NAYMAN, GORSCIO,
KARYNSCIO, ROZYCIO, OSEDOVIO;

Septi-

Septimam in Te
ex
HYACINTHO.

An vero mons hic, Gratiarum Coronas non meruit?
qui dites mentium gazas, & coronarum monilia,
in iis ſapientiæ, & Iuris Antiſtitibus dedit;
quorum tu veſtigia ſecutus,
etiam coronas, & ſublimia meruiſti;
ſuper hoc faſtigio;
in quo ſi gloriam nominis tui, Pegaſum meum feceris;
tunc ego,
ſublimi feriam vertice ſydera;
canamq́; necdum terras Aſtræa reliquit;
quæ viciniùs Cælo Capitolium tuum elegit;
vt in eo oraculorum ſuorum conderet
Areopagum, & Senatum.
Hæc Tibi Moeonides tuus,
illo affectu;
quo te Neſtora ſuum eſſe cupit,
altoque Cælum gemitu fatigat;
vt Te
diu Eccleſiæ ſuæ, diu Sacræ Themidi, diu amicis,
fidelis, & verax, equo albo inuectus;
qualem virgine oculo, Ioannes Charis Apocalyptica vidit,
habens in femore ſuo, & in veſtimento ſcriptum,
REX REGVM,
&
DOMINVS DOMINANTIVM
ſeruet,
in monte iſto;
cuius hæc peculiaris gloria eſt;
quod cum cæteri, lapidum metalla ferant;
hominum iſte
GEMMAS,
nimirum
HYACINTHOS.

PAR-

PARNASSVS
SACER
MONS KONIVSZA.

AMpliùs hâud potuit, iſto ſuffuſa rubore,
Victaque tot meritis, & amici conſcia nexus,
Ingratam tenuiſſe chelym Parnaſſia Clio;
Ne totis riguiſſe fibris, âut ænea cordis
Clauſtra putaretur Siculo duraſſe metallo,
Tot contra ſtimulos, & largæ munera dextræ.
In me prona diù, iam tandem gratia vincat;
Et toties habitatus apex, me nôrit amicos
Incoluiſſe lares; ſed non ſine carmine dulci;
Nec ſine Muſarum roſeis, quas fundo coronis.
Tu mihi cantandus, grati modulamine plectri
Mons dilecte venis; quo non mihi gratius vllum
Ex animo ſurrexit opus; ſeû triſtia rerum,
Sêu lætas meminiſſe vices iuuat; vndique tecum
Tollor ad vndantes mirâ dulcedine curas.
Tu mihi Parnaſſo potior, tu colle bicorni,
Et Clarus Phœbi laribus Diuinior extas;
Non genio Vatum, quos numinis impete ſacrô
Vis arcana ciet; ſed vi dicendus amoris,
Et totâ ſaliente cheli, quam ſpiritus ille
Entheat in plauſus hilares, & carmen amicum;
Quo mea præ cunctis animauit barbita pridem,
Monte Konivszensi, nimiùm dilectus Apollo.
Nubibus æthereis vicinos tollere montes,
Principe viſendoſque loco, velut orbis in auge, *Laus Montiū.*
Inque coronata terrarum ſede locare
Naturæ placuit; quæ certis omnia librans,
Diſpenſanſque modis; decreuit in Ordine rerum,

B Plana

Plana super, collesque super, iuga montibus altis,
Et caput augustum. nec enim Campana per arua
Expansosque sinus ; nec per viridantia latè
Æquora camporum, segetumque per aurea Tempe,
Vbere fœta penu naturæ gratia, totas
Fudit opes; aût illa sui decus omne theatri
In plano posuit, clausitque patentibus agris,
Vertice terrarum despecto. scilicet illi
Cura minor rerum, quas in sublimia tolli,
Et tantæ molis voluit succrescere tractu,
Vasti non modicam partem qui redderet Orbis.
Quin potius montana Diis electa, situque
Plùs visenda suo; compagis in ardua tantæ
Vt creuêre magis; sic non postrema tulêre
Munera naturæ; serie quæ nouit in omni
Alternas seruare vices, supplereq; dotes
Dotibus alternis; vt gratia seruet vtrinque,
Maior inexhaustas prodatque opulentia gazas.
Si fecundus ager, delectat messe beata;
Herbida si tellus, pratis vernantia latè,
Et vitreis profert circumflua germina lymphis:
Spirat odoratum si florida gratia nectar,
Inter delicias hortorum. denique syluas
Frondosi decoris, species si grata coronat;
Quis neget ? hæc etiam præcelsos gloria montes
Naturæ dono, quod per fastigia rerum
Ambiat in summo. saxosis rupibus illi
Non toti, passimque rigent. nec vertice caluo
Ostentant infame caput, macieque perenni
Exesos apices, nudataque brachia tollunt.
Flaua Ceres lætam segetem, fœtasque maniplis
Non inuidit eis messes. nec Flora venustos
Alcinoi flores. nec fontibus inclyta Nais
Vndarum scatebras. nec eis Latonia Phœbe

Dodo-

Dodonam nemorum, Satyros, Dryadasque negauit.
Phœnices inter, Lybani quæ gloria montis ?
Carmelique decor quantus ? qui germinat altis
Culminibus, segetumque ferax, herbisque virescens,
Frugiferis non cedit agris. quàm pulcher Olympi
Æmathiis vertex, qui tendit ad æthera campis:
Æthnaque per Siculas quamuis notissima flammas,
Purpureos flores carpentem virgine dextrâ
Quam tenuit Cereris sobolem, Plutonia tandem
Vt fieret Coniux; an non & dulcia Tempe
Thessalicis celebrata iugis, ad nomen amœnum
Tot seclis montana vocant ? sed cultus in illis
Fertilitasque licet non æquet plana; nec omne
Alta ferant germen terrarum. viscera certè
Ditibus hoc supplent intus pretiosa fodinis,
Auriferumque penu, multo venæque metallo
Et gemmis faciles, & copia marmoris ingens,
Cæsaque Caucaseis solidissima robora saxis;
Vt populos, vrbesque tegant munimine vasto,
Et per inaccessos aditus tutentur ab hoste,
Vicinasque suo discernant limite gentes.
Alpibus id natura dedit, queis Gallia debet,
Finitimos latè populos, quod mole stupenda
Arceat; hostilesque vias, ensesque moretur
Rupibus obiectis. sic & telluris Iberæ
Occiduos fasces, & Gadibus inclyta regna,
Pyrenæus apex defendit. nec tibi pugnax
Lechia, Pannonicas qui tecum Carpatus oras
Diuisit, minor est; sed culmen nubibus æquat,
Vndarum, nemorumque parens; ad Dacas, & Istrum
Cyclopæa velut terrarum brachia pandens
Immenso tractu. nec totus vertice summo,
Sarmaticas hyemes, ventis glacialibus vrget,
Æternisque riget niuibus; sed floret amœno
Interdum cultu, medicas & germinat herbas;

Montes floridi, & frugum copiâ felices.

Montes pretiosi metalli venarum feraces.

Mõtes in limites gentium dati.

Montium Carpati laus.

Alta

Alta metalliferis concludens viſcera gazis;
Cura laborantûm quò non penetrauit auara,
Nec longæ venêre manus. nam Sarmata curis
Armorum potior ſemper, glebæque feracis
Securus, terrena cauis rupiſſe fodinis
Hâud tantùm ſitiit; dum ſe victricibus armis,
Nunc Ponti gelidis, nunc Volgæ finibus infert;
Carpatios ſuperanſque apices, vicina coronæ
Pannonicæ dum regna tenet, trabeamque Polonam.
Non ego iam Calpen, non Hellados Acrocorinthum,
Non Idamque canam; nec carmine ſurget anhelo,
Maurus Atlas, Tmoluſque Cilix, Tauruſq; Scytharum
Grande ſupercilium. quod enim faſtigia tanta
Æquet opus numeris paribus? quis rite loquatur
Ardua tot? quorum ſitus & vicinus Olympo,
Culmen habet ſacrum. veteri nam quæ iuga ritu,
Non celſêre Diis? cùm non vulgaria terræ
Arcanum coleret Numen; turbiſque remotum
Poſceret ex alto, Sacri vectigal honoris.
Monte Palatino Diûum ſuprema poteſtas,
Et Capitolino Romanæ Iupiter arcis,
Imperium regale throno, delubraque toto
Orbe tulit veneranda, Merops quem pronus adorat.
Mercurium Cyllenus amat, Dianaque Cynthum,
Magna Deûm Cybele Berecynthia culmina Mater,
Idaliumq; Venus, Rhodopen Mars, Iuno Lacinum,
Aona cum Muſis Phœbus, Pallaſque Aracynthum,
Vulcanus Lyparam, Surrentinumque Lyæus;
Maſſica cûi cyathos dulces, & Cæcuba vitis
Montibus electis tulerat; nec muſtea vina
Proueniunt alibi meliùs; quàm ſole ſub ipſo
Collibus expanſis, & ſudo montis aprici.
Sed mihi Parnaſſus, Muſarum gloria, dulces
Iam ſalit ad chordas; non qui ſe Phocidos altæ
Nomi-

Montes, apud antiquos, Diis potiſſimum ſacri.

Nominibus iactat priſcis, & laude Pelaſga;
Monte Koniuſzenſi, ſed quem ſibi Lechica mecum
Caſtalis elegit. quid Graiûm mole vetuſta
Obruimur toti, ſemperque per inuia Cirrhæ,
Vulgatoſque lares, & trita mapalia Pindi
Arcades, exoticæque animæ & ſemper Achiui
Verſamur? totieſque Rhodum, totieſq; Corinthum,
Et nunquam patriam ſapimus. pulcherrima rerum
Hêu neglecta domi, cur tandem vindice famâ,
Triſtibus ex vmbris non tollimus? antra Deorum
Viſere delectat. volupè eſt Titania pubes
Nôſſe, quot in Cælum iaculata eſt montibus; & quot
Ictibus oſſa Iouem, vel Martis fulmina torſit;
Aût Erimanthæo quoties in culmine cæſus
Alcidem tentauit aper; pernicibus alis
Pegaſus ad fontem, vel quot confecerit vlnas:
Cùm potiora domi ſileant, raròque ſuorum
Inueniant memores animos. Parnaſſius olim
Quàm celebris vertex, meruit teſtudine Vatum,
Immortale decus, pretium, nomenque perenne.
Tune Koniuſza meo, iuſtas in carmine laudes,
Et Patrios cultus necdum meruiſſe videris?
Tune ſines de Te, tam conſcia plectra ſilere?
Cùm tu ſis Helicon dulcis mihi, tuque Aganippe
Digna cani. certè ſi quid Permeſſidos vndæ
Caſta fluenta valent; ni totum depluat in Te;
Nec me Phœbus amet, nec Theſpia barbita nôrint.
Si regio, ſi terra ferax; ſi gratia clari
Conditioque loci; ſi res mirabilis ortu,
Succeſſuque ſuo felix; ſemperque deinceps
Vſibus apta ſacris, cæleſtibus inclyta donis,
Præcipui nomen, cenſumque meretur honoris;
Hæc dilecte tibi mons, & Parnaſſe Koniuſza,
Cuncta fauent, celebrique loco tua nomina ponunt.

Montis Koniuſzæ Laus.

Nempe

Nempe coronata non multùm distat ab Vrbe,
Montanum decus hoc; quo tu sublimia tollis
Colla super campos, & cis cultissima Regni
Viscera, deliciasque aruorum. Cracidos altæ
Hîc vbi Sceptrorum, maiestatisque Polonæ
Augustus dominatur apex; fecundaque spectat
Æquora Proszouii tractus; tu Sede beata,
Et Cereris gaudes solio. quod pendula saxis
Non vrget prærupta minacibus; aût malefido
Lubrica præcipitat descensu. lenis ab imo,
Decliuisque tibi sensim procedit in altum,
Assurgitque situs; donec fastigia summa
Attingat, visuque oculos delectet amœno.
Hîc iam mille viis obtutus, mille modisque
Lumina tota rapit. nam quò se Bosphorus infert
Eoo super axe poli, lætissima Tempe
Cernuntur; pratisque virens, agrisque redundans
Vberibus tellus; qualem Sreniauius amnis
Littore frugifero, lætisque meatibus ambit;
Tot vitreas ripis vernantibus vndique sedes
Nympharum statuens, & per tot culta refusus.
Montis vbi non longe etiam à radicibus ipsis,
Libertatis honos, sedem sibi fixit amicam,
Proszouiis laribus; magnique Senacula Consi
Delubro posuit sacro. vox libera gentis
Hîc regnat; leges patrias, & publica rerum
Hîc momenta librat. quod dùm quoq; tēpora poscunt,
Monte Koniusza tuo, libertas aurea fecit.
Hinc etiam celebri fama visendus ad Austrum
Carpathus occurrit; submontanæque tot oræ
Monstrat inaccessas arces, totque oppida circum
Bochnensesque Salis, Velicensesque fodinas,
Mirandi gazas operis. delectat & ipse
Occiduæ de fonte plagæ, qui pendulus exit

Ab Vrbe Crac: tribus leucis distat.

Situs Koniussæ, & in longissima prospectus.

Oppidum Prosouice Comitiis Nobilium celebre.

Istula

Istula Rex fluuiorum; moxque tumescens
Labitur in sedes patrias, lambitque Vauelum;
Totque auctus fluuiis Niepołomicensia circum
Regia tot nemorum cunabula, totque ferarum
Hercinios saltus, ad Balthidis ora Borussæ
Deproperat, secumque rates tot voluit, & vndas.
Grata quoque est facies, Cælo spectanda sereno,
Seû quò Vislicius, seû quò Pinczouius axis,
Finitimumque latus Boreæ, quò copia frugum
Respicit; insigni quam Scarbimiria tractu
Auget; & in Cereris regno dum plena reponit
Horrea; Craciacæ magnis ex messibus, Vrbis
Grande penu ditat. nec tantis laudibus impar,
Hùc etiam fecunda suo Miechouia cultu,
Frugiferas comportat opes. de culmine tanto,
Fertilium terræ, sed quantus visitur Orbis,
Sola oculi pupilla docet. longissimus ordo
Hic transIstuleas partes, & Roxica ponè
Nomina terrarum, dùm summa monstrat ab auge;
Ad numeros quis cuncta vocet? natura venustum
Si quod opus, per tot latè conuexa reliquit,
Transtulit hùc visu; quod non fecisset Apellis,
Protogenis, Zeuxisque manus. nec sola voluptas
Hic oculos mulcet; sed frugibus vbere gleba
Gaudet amica Ceres; circumque cacumina vernat
Arboribus Pomona suis; diademate nexo
Fructibus ex variis, quam copia læta coronat.
Gratia naturæ postquam successit, ab alto
Electus Superis locus est, sed origine mira;
In fastos memores, retulit quam prisca vetustas.
Rem loquor annorum serie, gestisque remotam;
Sed celebrem famâ, calamo nixamque fideli;
Diuinus sonipes, cûi per tot secula ductum,
Nomen ab euentu raro memorabile fecit.

Mira, & antiqua Koniussæ origo; de qua Ioannes Dlugossius Canon: Crac. Nominatus Archiepiscopus Leopol: Tom. 1. Hist. Polon. Tit: De

Belli-

ſcriptio Motiũ Polon:

Belligera virtute potens, Heroica virtus,
Robora militiæ quondam, Martique dicatos,
Sarmatica de gente viros, quæ protulit Orbi;
Pugnaces animos inter, cordataque gentis

Prybyſlaus Eques Polonus, de ſtirpe Sreniauia, Heres Koniuſſæ.

Pectora, nobilibus ceris, & nomine clarum
Fortè Prybyſlaum tulerat. Sreniauius illi
Sanguis, & antiquus ſplendor de ſtemmate tanto,
Non minor in caſtris Bellonæ gloria, primùm
Parta domi; magnæque dein ſpiramine mentis
Dùm calet; vt decus hoc vicino Marte pararet,
Ardua finitimi poſcebat bella Gradiui,
Inque nouas acies, inuictum pectus agebat.
Talis Achillæam flammis ardentibus vſſit
Aurea fax mentem; cùm Dardana cogitat arma,
Iliacaſque arces, & Martis in Hectore robur.
Talis & in Rutulos, Pallantem ſpiritus olim
Armiſona virtute tulit, florenſque iuuenta;
Iret in aduerſos ſoboles vt Regia caſus;
Auſonii Teucris dum tanto ſanguine faſces,
Poſt cineres patrios, extremaque funera ſurgunt.
Ergo magnanimâ dignum virtute theatrum,
Bella Prybyſlao Mauors vicinus in armis,

In Pannonia militat.

Pannonia certante dedit. ductore Gradiuo
Hùc delatus Eques, contemptis mille periclis;
Sanguinis, & vitæ dum prodigus Hunnica latè
Arma tot annorum ſequitur; pulcherrima longæ
Militiæ retulit decora, inſigneſque coronas.
Iamque lares patrios, & amicæ limina gentis,
Claros in bellis poſt tot dùm cogitat auſus;
In reditu bellator equus, quo prælia tanta

Equum Pannonio Nobili vendit. In Poloniam reuertitur

Succeſsêre viro, ſic Numine fortè volente,
Pannonio Heroi placuit; ceſſitque ſoluto
Fas vt erat pretio; dum Lechica regna petentem
Læta Prybyſlaum patria eſt complexa, domuſque
Interea

Intereà ſonipes, generoſa ex indole carus,
Acer vt in bellis; ſic & fecundus equorum
Armentis dux ipſe præeſt; mirabile dictu
Auſurus tandem, Cæleſti non ſine nutu.
Alpes Sarmaticas inter diſtantia regna,
Difficili quamuis per tot prærupta meatu,
Humanis ægrè pateant acceſſibus intrò;
Hinc tamen in patriam, veſtigia longa ſecutus,
Tot iam annis abſentis heri, dictamine miro,

Equus poſt tres annos Prybyſlaum ſequitur.

Pannoniis contendit equus de finibus, vltra
Carpathios montes; armentorumque cateruãm
Sarmatici traxit veniens in viſcera regni,
Emenſus tantùm ſpatii, tantùmque viarum,
Cum tot equis tacito diſceſſu. ſed duce nullo

In Poloniam cum magno numero equorum tendit.

Ibat ab Hunniacis, ad patria limina terris
Cautus, & inueſtigari quò tenderet, vlli
Haud facilis, per tot nemorum denſiſſima, per tot
Abdita montani tractus. nam noctibus ille
Confeciſſe vias, vt in vmbra tutior iret,
Creditur. aſt totis rurſum ſpelæa diebus,
Syluarum latebras, atque horrida quæque tenebat,
Declinans ſolitum callem, renuenſque videri.
Ardua terrarum ſic tranſiit, inuia vicit,
Iſtuleas tranauit aquas; tandemque Koniuſzæ
Quæſitum tantis montem conatibus, atque

Ad Prybyſlai rura Paterna venit.

Tecta Prybyslai quondam notiſſima, magnis
Paſſibus inuenit. circùm generoſa propago
Nobilis armenti, pulli cum matribus adſtant,
Obſeruantque ducem comites. tùm Pegaſus ille
Oſtia cara petit Domini, pulſuque requirit

Ædium Oſtia pulſat.

Vt pateant. ſed cùm geritur res nocte ſub alta;
Terruit hâud quidquam ſperantes, iamque quiete
Compoſitos dulci. miles cordatior ipſe,
Quid velit explorans tantus de nocte tumultus;
Vt videt arcano proſpectu, grandis equorum

D

Quod

Quod propè se glomeret numerus, quodq; otyus instet
Calcibus impellatque fores; hostilia censens,
Contrà vim subitam, iam Martia fertur in arma,
Iamque animo validum circumspicit vndique robur.
At sonipes placidis accessibus omina pacis
Læta ferens, vocem Domini cum noscit amicam;
Noscitur ex hinnitu.
Noscitur hinnitu solito, securaque prodit
Aduentus documenta sui, gratissimus hospes.
Panditur ergo domus venienti læta vicissim,
Armentique ingens numerus præstantis, & ipse
Ductor equus primùm carissima tecta subintrat.
Cum equorũ grandi numero à Prybyslao recipitur.
Cernitur eximiæ sobolis, matrumque tot agmen
Ædibus infusum; subsultantesque caballi
Nescia stare loco, nec subdita turba lupatis,
Saltibus, & lætis hinnitibus omnia complet.
Mens hilares inter plausus, interque stuporem,
Tota Prybyslai variè dum fluctuat; & rem
Prodigio similem dum contemplatur, & hæret,
Nutibus id tribuens Diuinis; omnia tandem
Prybyslaus Dei beneficio id tribuens, omnia Deo vouet.
Destinat ad sacros vsus; donataque cælo
Agmina, Cælitibus grato cum munere donat.
Quis mihi nunc Balius, vel magni Xanthus Achillis,
Hirpinusque celer, ventos superansque Pelorus,
Regia vel fletu Pallantis busta secutus,
Quis bellator equus, priscorum somnia Vatum
Ingerat ad laudes? memoret Pyroenta corusco
Quis temone mihi? vel tot mentita quadrigis
Nomina Phæbeis? vel tot deuicta ferentem
Regna simul, fascesq; Orbis, Macedûmq; triumphos,
Bucephalum carum pretio, virtute stupendum?
Omne tulit punctum, veterisque encomia famæ
Cuncta Prybyslai Sonipes mirabilis, vno
Vicit in euentu; quo res pulcherrima, cultu
Numinis

Numinis æterni, per tot iam secla perennat.
Nempè Deo gratus, pia concipit illico vota,
Fertque Prybyslaus superis, quod cælitùs ipso
Hâud dubitat venisse. sacri fastigia montis,
Quo super obseruata fuêre armenta stetisse;
Vt rem Cælitibus caram, cum diuite censu,
Et cum patritiis, quos tum possederat agris
Dedicat authori rerum, pietate magistrâ,
Ampla sat erecto statuens impendia templo.
Inde loco nomen, quod res non obuia fecit;
Agmine cum tanto, reducis sed nobile factum
Insigniuit equi. quod dum clarescere, miro
Cœpit ab euentu; celebris mons factus ab inde,
Spectari longè, dici meruitque Koniusza.
Vtque Vaticanæ celsissima culmina petræ,
Inter Apostolicos cœtus, fascesque beati
Imperii, gemino Diuorum Principe gaudent;
EcclesiamKoniussensem sub titulo SS. Petri & Pauli Apost. construit, & dotat.
Hic sibi sic inter Lechi montana supremus
Clauiger in cælis, & Doctor maximus Orbis,
Elegisse thronum voluit. de sedibus altis
Petrus apex fidei, post Christum summa potestas
Latè prospectans; vt clerum vindice zelo
Protegat hinc, rebusque sacris vicinior adsit,
Hic velut in Cathedra Summus præsitque Sacerdos.
Censuit hoc virtus, & prodiga sumptibus amplis
Dextra Prybyslai; per quam surrexit in æuum
Mansuræ pietatis opus. cûi maximus ille
Christiadum vertex, Romana Sede coruscans,
Fauit ab Ecclesiæ solio; dum principe magni
Confraternitas SS. Petri, & Pauli in Ecclesia Koniussensi, erecta per Paulũ V. Pont: Max:
Sub titulo Petri, quo mos hic Præside fulget,
Deuotas mentes sociali fœdere iungens,
Hùc sacras effudit opes. nec gratia Regum
Defuit hûc operi. nam quod concesserat in res
Donatas ex asse Deo, diploma secutum

 Princi-

Principis in Regno trabeæ, decreuerat illud
Libertate frui, patriis soliuque tributis.
Mons sacer exemptus, patrimonia libera Christi
Vt veteri pietate tulit. sic tota deinceps

A Serenissimis Poloniæ Regibus magna privilegia recipit

Hoc Regum series voluit; quam Piasteus, et quam
Stirpe coronata sanguis Iagelonius, Orbi
Sarmatico dederat. Casimiri nomina magni
Hic expressa legas. posuit signacula Regum
Hic Sismunde tui manus augustissima sceptri,
Totque Monarcharum pietas; vt iure triumphet
Carus apex Superis, & Regum munere dignus,
Creditus ad curam, Pastoralemque laborem
Tot summâ virtute Viris. nam publica Regni
Munera, Regalisque throni quibus intima sæpè
Officia, ex animi merito commissa fuêre;
Visi sunt toties, curâ Pastoris in isto

Voces sex Iuris patronat⁹ ad Parochiam Koniussensem à Stanislao Barzy in Wisnic, & alys Nobilibus Polonis, Inclyto Collegio Iuridico Cracou: donatæ. Bernardus Vapouius Cantor Crac: Secretarius Regni Maior, Parochus Koniussensis. Barthol: Gatkowski Arch. Crac. Petrus Gorczynî V.D. & Profes. Canō: & Offic: Crac. institutus ad præsentationem Collegÿ Iurid: A. 1597

Eminuisse loco. donec sapientia Craci,
Hic quoque Doctorum clarissima nomina secum
Intulit; ex dono Barzorum, sanguinis alti
Sreniauæque Virûm; per quos domus inclyta magni
Consilii, Iurisque sacrum conclaue Poloni,
Insignes animas, ad Pastorale gerendum,
Deligit hic munus, feliciter ordine ducto.
Sic post Vapouium, de sanguine stirpis auitæ,
Historico calamo decorat quem gloria parta;
Et post Gatkouiæ virtutis gesta, sacrique
Officii decora; inter tot lectissima Iuris
Nomina Gorczynius fulsit. Naymanque Secutus
Craciacæ Themidis Doctorum primus in auge;
Inque Koniuszensi Pastorum munere primus;
Cracia quem Iuris dederat doctissima Pallas;
Iudicio, & calamo summum, factisque stupendum;
Pectoris inuicti Iagelonæ Matris Atlantem,

Fascibus

Fascibus, & Studii toties moderamine functum.

Iacobus Nayman Iuris Vq. D. & Profess: Canon: Crac: Institutus Anno D. 1616. Iacobus Gorscius I. Vq. D. & Professor, Canon: Crac: institutus Anno D. 1641.

Qui sapiens, ingensque animo; res cardine motas,
Rursus in immoto statuit fundamine legum,
Pro Musis Patriis cordatus, & vnus Achilles,
Et pro Centimanis vnus. quem Gorscius illâ
Excepit serie, rerum zeloque sacrarum;
Quo post enituit, per tot subsellia Iuris
Assertor, vindexque boni spectantis ad Aras,
Lege perantiqua decimi censumque manipli.

Stanislaus Rozycki I. Vq. D. & Professor, Canon: Crac: institutus Anno D. 1652. Laurentius Karynski I. Vq. D. & Profess. Canon: Crac: institutus Anno D. 1652. Stanislaus Osedowski I. Vq. D. & Profes: Canon: Crac. institutus Anno D. 1653.

Rozycyi breuior, quanquam cultissimus ille
Flos animi, roseusque vigor, spectataque virtus,
Floruit insigni merito. sedata Karynsci
Successit grauitas, rerum prudentia viuax,
Digna togatorum Sceptris. candoris eburni
Innocuas dotes, mox Osędouius, ô quam
Mansuetâ dulcique anima, vitæque probatæ
Expressit speculo! sic quod pietatis auitæ
Zelus, amorque pios concedere, iussit in vsus,
Feruenti Superûm cultu, tot secula vicit,
Illustres meruitque Viros. pulcherrima quorum
Nomina, virtutesque animi, fastosque perennes
Gestorum, probitate tua, fidoque labore,
Exemplo vitæ, sapienti pectore, curis
Pro re Diuina sanctè zelantibus, & tot
Dotibus eximiis, o flos Hyacinthe coronas!

Hyacinthus Thomassewic I. Vq. D. & Professor ad præsentationē Collegÿ institutus Anno D. 1669.

Tu mihi Parnassum super hæc fastigia dulcem,
Tu Musis Helicona meis, sacrosque parasti
Aonidûm fontes. nec enim pernicibus alis,
Fabula mendacis Soleæ cantata per Orbem,
Neptuni sanguis, diræ sobolesque Medusæ,
Bellerophonteus, rupem qui soluit in vndas,
Pegasus ille fuit, iuga cûi cessêre Koniuszæ;
Non Euro volucri, Libycis non ille sagittis,
Ocyor huc venit; monstrosæ colla Chimeræ
Calcibus vt tereret. sed prisco sanctior æuo,

In pa.

In patrias veniens per tot discrimina terras,
Diuinus planè sonipes, monstrauit ab alto
Rebus amica sacris loca; quorum vertice summo
Ipsa salutares cælestis gratia lymphas,
Puriùs eliciens, Hyppocrenemque cauasse
Visa nouam; sensus, & flamina mystica Vatum,
Condidit hic sub Claue Petri. felicior inde
Musarum Domus hæc; quo sanctius omnia vicit,
Hellade cum tota, licuit quæ more Pelasgo,
Priscorum grauidis insomnia gignere curis.
Phœbi nempè lares, & dulcia nomina Cyrrhæ,
Hic mihi respondent meliùs; seû ruris amœni
Otia suspiro, quoties vrbana fatigant
Tædia curarum; seû declinantibus atram,
Pestiferæ Lachesis, tot per contagia sortem,
Quæritur alma salus quoties, & vita Camœnis;
Cynthius hic,caræque mihi Libetrides adsunt;
Tuque anima es cunctis. cûi pro spiramine docto,
Proque focis, arisque tuis, pro vertice Pindi,
Sæpèque consumptis in eo tot dulcibus horis,
Iusta coronauit dilectum gratia montem.
Floreat ergo sacro vernans Helicone Koniusza,
Montibus Aoniis potior; cûi maximus ex Te,
Et decor, & flos est, Charitum, Phœbiq; voluptas
O Hyacinthe mei! tu quod virtutibus æquas,
Culmen habe laudis. sit spectatissimus iste,
Qui Te monstret apex, qui pro Te summa loquatur;
Inque oculi visum quoties incurrit amantis,
Hoc sublime Tuum; toties ex viscere cordis,
In memores animos, in pectora cara tuorum,
Mentio grata tui veniat. Tu viue, perenna,
Longæuus carusque Tuis. nec desinat vnquam,
Hic mihi transactæ tecum bona portio vitæ,
Mansuras implere cedros, & viuere Cælo!

GLO-

GLORIA

Sacrorum Montium,

in gratiam
Sacri Parnassi Koniuszensis,
panegyricæ coronidis ergò

ADIVNCTA.

MONTES SANCTI,

Redemptionis nostræ figuris, & Mysteriis,
in veteri, & noua Lege,

INSIGNITI.

Fundamenta eius in montibus Sanctis Psalm: 86.

MONS VISIONIS.

Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt.
Genes: Cap: 22.

DVcitur in montem soboles dilecta Parentum,
Sanguinis vnica spes, vna columna domûs;
Armatus mucrone parens, est ipse Sacerdos,
Filius est mortis baiulus, ipse suæ.
Non cadet hic Isaac, quamuis sint omnia præstò;
Hæc in monte Dei visio, digna Deo.
Et Patris, & Nati promptissima nempè voluntas,
Non erit hæc carnis victima, cordis erit.

De eodem

In montem Domini cum lignis hostia venit;
Cæditur extensâ non tamen illa manu.
Angelus ex alto vibratum continet ensem;
Innocui capitis, stat sine labe salus.

 Menti-

Mentibus Angelicis, quæ tanti cura laboris?
Pro Patre, pro puero, zelus hic vnde fuit?
Promptus in obsequium diuinæ vocis vterque,
Angelus esse illis, non homo visus erat.

MONS SINAI.

In die tertia descendet Dominus coram omni plebe, super montem Sinai. Exod: Cap: 19.

NVminis hic solium, circū quod fulgura mille;
Cernitur immensæ quo Deitatis apex.
Maiestas sub nube latet, mons totus in igne,
Cornutumque micat Mosis ab ore iubar.
Hic geminis tabulis, digito lex scripta tremendo;
Auditum populis hic idioma Dei.
Diligat æternæ quis non mandata salutis?
Ad nos descendit, cum quibus ipse Deus.

MONS ABARIM.

Ascende in montem istum Abarim, idest transitum Deuteronom: Cap: 32.

DVx populi Moses, promissæ dulcia terræ
Limina ne tangat, vox iubet alta Dei.
Sufficit è montis spectasse cacumine summo,
Heû non concessi, nobile clima soli!
Non fruitur terra felici; sed tamen illi
Felix in manibus mors, tumulusque Dei.
Nempè oculos, quibus ille Deum vidisse meretur,
Sola Dei fuerat claudere digna manus.

MONS HOREB.

Et ambulauit Elias in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsq; ad montem Dei Horeb. Reg: 3. Cap: 19.

IMpia Tisiphone furias Iezabel in omnes
Soluitur, Heliæ dum sitit illa necem;
Tigridis immani Vates declinat ab ira,
In montemque Dei grande fatigat iter.
Scilicet Angelico quamuis sit pane refectus,
Fortis in hoc quamuis ambulet ille cibo;
Dum sæuit mulier, fugit in deserta Prophetes;
Vincendi ratio est, à muliere fuga.

MONS CARMELVS.

Elias autem ascendit in verticem Carmeli. Reg: 3. Cap: 18.

CArmeli sublime decus, dilecta Prophetis
Mansio, flammigeri Vatis amica domus.
Primus Eremicolis, mons hic electus in Orbe,
Cælestis vitæ, normaque prima fuit.
Corruit hic altare Baal, cæsique ministri;
Arsit inundatis victima sacra focis.
Hic pedis humani Virgo sub nube Maria,
Iam Soror, ad Fratres ibat amica suos.

MONS SION.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. Psalm: 124.

ARx Solymæ, regniq; caput mons Sion, in ipso
Iessæi populi corde, thronoque situs,
Dauid Regis amor, celebratum carmine sacro
Diuinum in terris nobile delitium.
Mysticus hic, & Sanctus apex: nec dulcius vllum
Quæ manet electos, patria nomen habet;
Si iusti sunt grana Dei, si Sion aceruus?
Verè iustorum patria, Sion erit.

MONS THABOR.

Et hanc vocem nos audiuimus de Cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte Sancto. Petr: Epist: 2. Cap: 1.

PArticulam Cæli Diuinæ lucis ab alto,
Gustibus hic modicis, paruula rima dedit.
Dùm facies augusta nitet, dùm candet amictus;
Vox è nube sonat, Filius iste Dei est.
Obstupûere Viri, quibus hæc concessa voluptas.
Ast o quam paucis, visio tanta patet!
Nominis arcano, mons est electio Thabor;
Electos numerus, quantulus iste manet.

MONS OLIVETI.

Et egressus ibat, secundum consuetudinem, in montem Oliuarum Luc: Cap: 22.

HIc oleam pacis, Christus Mediator in horto
Dum quærit; totus Sanguinis imbre madet.
Parta salus homini, constat sudore cruento;
Hoc opus est, sub quo sudat & ipse Deus.
Morte triumphata, dum rursus victor Auerni,
Iam post diluuium sanguinis, alta petit;
Hoc è monte, ferens ramum frondentis Oliuæ,
In cælum Iesus, nostra Columba volat.

MONS GOLGOTHA.

Exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicæ autem GOLGOTHA Ioan: Cap: 19.

NOn aliud toto culmen diuiniùs Orbe,
Morte Redemptoris parta, trophæa gerit.
Hîc author vitæ moritur, sed vita triumphat;
Hîc meus, à ligno regnat IESVS amor.
Crux Thronus est, cruor illi purpura, laurea sceptrũ,
Sunt claui gemmæ, spina corona Deo.
Omnia Golgothæ fastigia cedite monti;
Hic solus, cælum vertice tangit apex.

SA-

SACRI MONTES POLONIÆ,

miraculorũ gloriâ, & præcipuis religioso cultu locis

CELEBRES.

MONS S. CRVCIS,

Pretiosa Crucis Christi particula, & antiquissimo PP. Benedictinorum Cœnobio insignis.

PAnnonio Regum clarus de sanguine Princeps,
Hospes dùm gratus, Lechica regna subit;
Hic vbi deserti moles vastissima montis
Tollitur, & Calui verticis axe riget,
Eligit inspirante Deo fastigia Sancta;
In quibus assurgant templa dicata Deo.
Si lignum vitæ Crux est; mons horridus omnes
In Cruce delitias, ceu Paradysus habet.

MONS CLARVS CZĘSTOCHOVIENSIS,

Deiparæ Virginis miraculosâ Imagine, à S. Luca depicta

CELEBERRIMUS.

VIrginis æternæ Sacros in Imagine vultus,
Quos magno pinxit, maior Apelle manus,
Mons habet electus Genitrici Numinis; in quo
Cum vultu nobis, cor quoque dulce dedit.
Hoc in monte Thronum, Sceptri Regina Poloni,
Vt dici voluit, Virgo Maria tenet.
Qui tot dona Dei, qui tot miracula seruet,
Sarmatico non est clarior Orbe locus.

 MONS

MONS VAVEL.

Sacro Diui Stanislai Episc: & Martyris Sepulchro, Regum Sede, Regnique deposito, & Cathedra Episc: Crac:

C O R O N A T U S.

Eminet Istuleum vertex propè maximus amnē,
Fertque coronatum Lechidos arce caput:
Rupibus hic solidis, stetit ingens Regia Craci;
Quæ Regum trabeas, & diadema gerit.
Par maiestatis non est, Europa quod illi
Collocet in summo, quodque coronet opus.
Omnia sed tanti superans encomia montis,
Sola STANISLAI Martyris vrna capit.

MONS RUPELLÆ.

D. STANISLAI *Episc: & Martyris, Sanguine, & celebris loco Martyrii Insignitæ.*

Ritibus antiquis, vbi victima dæmonis olim
Sæpè cadens, Aram fecerat esse Stygis;
Hîc altare Deo, felicior hostia fecit;
Hostia sacrilegi Principis icta manu.
Præsulis innocuo manat Rupella cruore;
Pastoremque suum, perdita mactat Ouis.
Cæde STANISLAI gemuit Rupella; sed eheu!
Cor Regis, Rupes impia, non gemuit.

MONS TYNECENSIS,

Sacra PP. Benedictinorum, in Regio Cœnobio

E R E M U S.

Rixa throni consors, patriæ discordis origo,
Regalis tulerat pignora cara Domûs;
Sed redit augusti CASIMIRUS sanguinis, vna
Spes, & auita Patris Sceptra rogatus habet.
Cluniaco veniens ad Regni munera Princeps,
Non poterat caros, non adamasse lares.

Dote

Dote sat augustâ, Tyneci sacra iuga loquuntur;
Ediderit Regem, quam mala Rixa bonum.

MONS CALVARIÆ.

Ad recolendam Dominicæ Paßionis memoriam, magnæ confluentium populorum deuotioni, Illustrißimæ Domus Zebrzydouianæ, piis, & liberalißimis sumptibus

E R E C T U S.

Mucro ferox Asiæ, Regnorū sæua charybdis,
Helluo Thrax, Christi dū sacra busta rapit;
Orbis Christiadûm gemuit; Diuina Sepulchri
Impius heû teneat, quod monumenta Getes.
Barbare non tumeas; en Zebrzydouia de te
Monte sacro pietas, rapta trophæa locat.
Sacra Crucis Christi vestigia cernimus; an non
Stat noua Lechiacis Hierosolyma iugis?

MONS ARGENTEUS.

Sacra PP. Camaldulensium

E R E M U S.

In terris vitam cælestem viuere doctos,
Volscius Hesperio duxit ab Orbe Viros.
Felices animas, species pulcherrima montis,
Mentibus Angelicis, parque cacumen habet.
Sic habitant, quibus vna Deo seruire voluptas;
Illis corda velut, sic quoque templa nitent.
Nomine qui fuerat mons hic Argenteus; o quam
Nunc verè gignit, digna metalla Deo!

MONS VISNICENSIS.

Triumphali Illustrißimi Sanguinis Lubomirsciani Basilicâ, ob Chocimensem ex Osmano victoriam, & insigni PP. de monte Carmelo Discalciatorum Cænobio.

C L A R U S.

G

Fulmen

FVlmen Threiicium, magnis terroribus in nos,
Dùm parat immanes, ex Oriente minas;
Contra Bistonias acies Lubomirscius Heros,
Templa Deo, vt redeat victor ab hoste vo[illegible]
Vincitur Osmanus. moles pulcherrima surgi[illegible]
Quæ dedit ipse, refert parta trophæa Deus.
Visnicensis apex gemmis testatur, & auro;
In Cælum quanto fonte Sreniaua fluat.

MONS CZERNENSIS.

Sacra PP. de Monte Carmelo Discalciatorum

E R E M U S.

MArmora, Sarmaticis vbi tellus clara fodinis,
In patrias cæso viscere, fundit opes;
Hîc sibi delegit, Sacram Carmelus Eremum;
In Cælum puris mentibus vnde volat.
O quam Seraphicæ viuax in prole Teresæ,
Hîc quamuis inter marmora, feruet amor!
Heliæ potuit succendere spiritus vndas;
Cur non Seraphico, marmor ab igne calet?

MONS ALVERNI.

Sacra PP. Minorum de Obseruantia, Illustriß: Comitum de Pilca Koriciniorum liberalitate fundata

E R E M U S.

MEnte prout fuerat propior Fräciscus Olympo;
Sic propiora polo, culmina montis amat.
In cruce pendentem, dum contemplatur amorē;
Hîc arcanus ei, vulnera fixit amor.
Cederet Ausoniis ne tota hæc gloria terris,
Aluerni sacrum Lechia culmen habet.
Flammeus impressit Francisco vulnera Seraph;
Imprimit hic, puris mentibus illa D E V S.